Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosophor.
1750 17 Aprilis

Tomecki Francisci: Academiae Jagellonicae laureati germina honoris virtuti et eruditioni XVII. VV. DD. primae laureae Candidatorum proferens.

ACADEMUS JAGELONICUS,

Laureati germina Honoris
Virtuti & Eruditioni
XVII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum

PROFERENS,

& dum per
Illustrem Clarissimum & Admodum Reverendum Dominum

D. M. ADALBERTVM BIEGACZEWIC,

Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; Regium ac Tylicianum Eloquentiæ Professorem, Collegam Majorem, Ecclesiarum; Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviæ CANONICUM, Parochialis in Chrzanow PRÆPOSITUM, ac interea Artisticæ Facultatis DECANUM,

In magna Hospitum Præsentia
AA. LL. & Philosophiæ Baccalaurei,
Ritu Solenni renuntiarentur,
Votivi applausûs gratiâ
à
FRANCISCO TOMECKI,
Ejusdem Laureæ Candidato,
Metricô Calamô

DESCRIPTUS.

Annô Domini 1750. Die 17. Aprilis.

CRACOVIÆ TYPIS COLLEGII MAJORIS


INRI
Thaumaturge
Tuas supplex prosternor ad Aras.
Atq meam Laurum dedico
CHRISTE Tibi.
Tu Via Tu Portus votorumposco meorum
Tu Via sis oro gressibus Una meis.

ARBORI SCIENTIÆ & VITÆ, *GENERIS HUMANI SERVATORI,* CHRISTO JESU, *IN LIGNO CRUCIS PATIENTISSIMO,* in Sacra Kobylanensis Ecclesiæ Ara *innumeris Miraculis* THAUMATURGO, Votis & desideriis hominum GRATIOSISSIMO, Continuo populi confluxu CELEBERRIMO.

P*Rima Laurearum Philosophicarum germina ad Sanctissimam Tuam adsternimus Aram,* REX DOLORUM PATIENTISSIME. *Non quærimus Romanorum Capitolia, non Martis Iovisq; ædes profanas, non fictis Deorum idolis gentiliumq; vanis simulacris victimas rogô & cinere dignas reddimus, Kobylanensis Ecclesiæ Sacratas ad Ædes Votis nostris, desideriis & pientissimis deferimur suspiriis, augustis* Thaumaturga Tua ab Imagine REDEMPTOR & SALVATOR Noster, *promtissimo cultu affundimur Aris, beatisq; Altaris Tui liminibus mille oscula profundissima cum adoratione figimus. Te nostræ salutis* Authorem *ex Patre ante sæcula*

sinè Matre, ex Matre in tempore sinè Patre natum, verum DEI *&* VIRGINIS *Filium, cultu & veneratione adoramus debita, Tibi Soli pientissima corda in victimas, & Laureas nostras in anadema & heccatomben offerimus. Es Fons Sapientiæ, es Fons omnium bonorum* CHRISTE Dulcissime, *Te doctis sertis, Te Academicis Laureis coronamus. Es* Arbor Vitæ & Scientiæ, *Tibi prima Laureatæ eruditionis germina, quæ nuper in Polono collegimus Academo consecramus. Es* VICTOR Mortis & Erebi, es Supernorum Dux Exercituum, es REX Regum Dulcissime IESV, *Plantis Tuis Sanctissimis innocuaRegiæ JagelonicæPalladis spolia incruentasq; substernimus manubias. Es* Flos Nazarenus, es Lilium Convallium *Tibi Serta Nostra Philosophica, Tibi Laureati veris Primitias litamus. Caput Sacratissimum spinis coronatum geris, Arboribus Nostris in Academica Dodona lectis, non Palmas, non Olivas, non Cedros sed Divinissimi Tui Capitis ramum uno devotorum cordium votô, uno animorum consensu in Regem deligimus. Es Optime IESV humani Servator generis, Tibi cùm Civicæ, cùm Murales, cùm Obsidionales Nobis non suppetunt, Coronas offerimus Philosophicas. Non despice ergo exiguum hoc pietatis nostræ argumentum, ob millena in confluentem tota ferè è Polonia Hungariaq; Populum effusa beneficia, Sacra* KOBYLANENSI in IMAGINE *æquè* Clementissime *ac* Thaumaturge IESV. *Suscipe pro infinita Divina bonitate Tua primas Nostras quas ferventissimis cordibus offerimus Tibi Laureas. Virebunt certò certiùs dabuntq; facilè ampliora Scientiarum germina, Tuâ ô* Fons Sapientiæ! ô Fons bonorum omnium! *Divinâ* Gratiâ *irrigatæ. Ferent æstus Scholasticos, & minimè marcescent, sub umbra alarum Tuarum in Ligno Crucis Sacratissimæ expansarum. Divinis Tuis sub auspiciis optimè præludent prima secundis, Cælesti Tua sub benedictione optatissimi in stadio Philosophico venient Nobis progressus. Quam ante* Sanctissimam Tuam Arã *pronissimo prostrati cultu corde & ore devotissimè exoramus.*

THAUMATURGÆ EFFIGIEI TUÆ

Cultores & Adoratores indignissimi.

DIVO JOANNI CANTIO

S. Theologiæ in Univerſitate Cracovienſi
DOCTORI & PROFESSORI,
Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ Singulari

PATRONO.

ODE VOTIVA.

ASperos poſtquam fera bruma menſes
Atq; Ryphæas refugus pruinas
Ultra Marpeſum Rhodopenq; noſtra
Auſter ab Arcto
Detulit; poſtquam meliore lucem
Sol comâ fudit, rigidasq; lenis
Aura proſcripſit, rediere poſtquam
Tempora veris.
Si quis auratos Babylonis hortos,
Heſperum ſi quis placidos receſſus,
Si quis errantes per opaca Faunos;
Atq; Napæas
Arborum leni ſtrepitu jocoſas,
Si quis umbroſos Driadum penates,

Et novâ ſaltus revidere pergit
Fronde virentes?
Me nec æternum nemus, & beata
Sylva Dodonæ virideſq; quercus,
Nec Jovi ſaltus ſacer aût Epiri
Lauriger unquam
Lucus eludet, retinere nulla
Me perennanti poterunt decore
Ac odoratîs redimita circum
Floribûs arva.
Sola ſed ſæclum ſuperans quaternum
Sub Tuo doctas geminaſq; Lauros,
Proferens Orbi veneranda Mater
Nomine CANTI.
Sub Tua Lechêæ Lithavæq; Gentis
Mille Miraclîs, precibûſq; mille
In dies cunctos celebris Patrone
Dive JOANNES.
Gratiâ florens Academus ipſe,
Me nemus doctos pariens corymbos
Me Tuo lucus gremio Sacratus
O Pater Alme
Laureæ primæ recreet decore;
Et meîs ſemper Patriarcha metrîs
Te celebrabo, Tua buſta ſemper
Pronus obibo.

Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis.

EXAMINATORIBVS.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. ADALBERTO BIEGACZEWIC,

Philosophiæ DOCTORI, Ejusdemq; Regio ac Tyliciano Eloquentiæ PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum; Collegiatæ S. ANNÆ Cracoviæ CANONICO, Parochialis in Chrzanow PRÆPOSITO, ac interea Artisticæ Facultatis DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. ANTONIO MICHALSKI,

Philosophiæ DOCTORI & PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ D. ANNÆ Cracoviæ CANONICO.

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino.

D. M. STANISLAO FOLTANSKI,

Philosophiæ DOCTORI & PROFESSORI, Collegæ Minori, Ecclesiæ Collegiatæ Szredensis CANONICO.

Acroama Heroicum.

MUlta mihi dubiam tenuit sententia mentem,
Sollicitusq; diu sylvas nemorumq; recessus
Per partes Orbis varias & climata sparsos;
Tum quidquid celso in frondescit culmine, quidquid
Collibus in summis & quid revirescit in ima
Valle diu solers quæsivi, sicq; volantes
Per juga per colles, per summa cacumina Terræ
Jam Calidon gelidis nimium dilecta Britannis,
Jam Carmen Messena meos, jam Teutona circum
Arva simulq; domos pendens Hercinia sylva,
Jam Thebana Coryx, jam Cretæ notior Ida,
Jam vetus Ethruscis Albulnea jamq; potenti

 Hercu-

Herculis à clava proſtratum quæ gemit usq;
Exuviis Nemee ſuis vallata Leonem,
Jam Nemus innumerum & ſylvæ luciq; virentes
Paſcebant oculos frondoſo germine captos.
Lumine ſed tacito gemino tum ſidere frontis
Dum varias ſylvis ſtirpes variasq; profundis
Saltibûs immenſo ſurgentes agmine frondes,
Dum Nemorum partus ſpecioſos, ſingula dumq;
Frondiferæ attentus perluſtro pignora Terræ;
Arripuit dubio mentem meditatio ſenſu
Iſta meam. Qua ſtirpe magis, qua fronde magiſve?
Germine quô lætô valeam meliusq; perennes
Quò poſſim grates foliô, deſcribere? quævc
Planta ſuîs opulenta comîs quæ vimine dives
Quæ gravis obryzô, rutilîs quæ florida ramîs
Arbor amata Diis, Ducibus quæ cara? ſuperbô
Quæ delata fuit quondam quæ ducta triumphô?
Iſta Tibi (dixi) noſtro præclare Virorum
Ternio de voto, noſtro de munere cedet.
Iſta triumphali clariſſima Nomina fronde
Deferet, iſta ſuos alto cum vertice ramos
In plauſus meritos dabit, in ſolenne trophæum
Iſta ſub aurato Trabeamq; Sagumq; Virile
Prædas cum ſpoliis Victorum cortice condens
Prona ſuos vobis ramos & culmina flectet.
Victores animîs, Victores arte potentes
Viribûs ingenii dexterrima Nomina quævis
Æquantes, Ducibusq; pares, & verius inquam
Nomina terna Ducum; doctæ qui caſtra Minervæ
Ducitis, Eloquiô Cathedras, qui publica roſtra
Facundæ toties repleſtis carmine lingvæ.
Qui multîs Stoam meritîs, qui Cracia multo
Ornatisq; diu veſtro ſudore Lycæa.
Sufficiet Vobis rebar pro munere Palma
Vel quæ Victorum Daphne ſacrata trophæis

Illa

Illa graves nimiùm curas nimiosq; labores
Sola perennanti pensabit germine Vestros.!
Jamq; mihi mens ista fuit, Palmamq; corymbum
Congrua dona fore & non vilia munera Vobis.
Sed DEUS ignoro mediis, qui dixit ab antris
Palma Duces ornat fateor, fateorq; Corymbus
Ritè Viros decorat Musis & Apolline claros.
Verùm plura meis præsto sunt germina Regnis
Quæ magè Doctores ornabunt, quæq; profectò
Nomina trina Virûm doctis fulgentia pridem
Lauris, clara magis præsenti munere reddet
Platanus en ingens, summoq; cacùmine celsa,
Sublimes animîs, sublimes culmine mentis
Ingeniisq; pares doctis paribusq; togatam
Qui auxerunt Gentem meritis, Musasq; Polonas,
Multô qui famæ censu laudisq; paratu
Rostra Togas, Cathedras, Studiorum Nobile Regnum
Accumulant. Istos (mea stet sententia talis)
Platanus alta Viros concernit, solaq; ternum
Nomen ob excelsas dotes, animumq; virilem
Robur & ingenii. Post multa negotia Vestris
Usibus, impensisq; diu documenta laboris
Platanus una manet, proprio quæ germine magnis
Symbola digna Viris, & munera digna favori,
Quæ potius referat, terno mage congrua quæ sit
Sola coronando fonti. Sic Numine plenus
Vos Darii voveo Vos Platanus aurea Xerxis
Recreet optatis rerum successibûs, ipsa &
Protegat illæsos adversæ sortis ab æstu.



ACADEMUS JAGELONICUS,
Laureati Germina Honoris
XVII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis
PROFERENS,
I. V. D. ROMUALDO LASKIEWICZ, Cra

Amygdalus Arbor.

cum Lemmate:

Fert prima virorem.

LAurea prima Tuum primùm Caput ultrò coronat,
 LASKIEWICZ primus quod videare Tuis
Dotibûs eximiis, Regalis sorteq; primus
 Urbis quæ proprio Te fovet alma sinu.
Primus es in gremio nostro, quæ prima virorem
 Arbor præ cunctis fert Tua jure manet.
Tu semper vireas opto, Clariq; Parentis
 Fxemplô Nostræ Palladis esto decus.

II. V. D. JACOBO ANTONIO SZOSTAKIEWICZ. Crac.

Laurus Cum Lemmate:

Plures parit una Coronas.

UNa dedit plures Laurus, dedit una Coronas
 Quam recipis Craciæ Palladis è manibus.
Hâc gemini Fratres, redimitus Avunculus hacce
 Hinc non una Tibi crede corona venit.
Gloria magna Tui Fratres & Avunculus extat
 Gloria ab ingenio Tu Tibi magna Tuo.
Hoc alios vincis, Majorum facta sequaris
 Sicq; canet magnum, Te bona fama Virum.

III. V. D.

III. V. D. JACOBO FRANCISCO L U K I N I, Crac:

Pomus Aurea Cum Lemmate:

Monstrô rapienda peremptô.

MAxima post victos Alcidæ præda Dracones
Aurea pomus erat nunc erit hæcce Tua.
Hercule cum dextro dexter Tu, fortis & audens
Tu quæcunq; voles es superare potens.
Alma Coronatrix Regum, fæcunda Virorum
Te genuit Nutrix, semina magna dedit.
Indolis egregiæ Patrui vestigia postquam
Servabis fateor sat Tibi laudis erit.

IV. V. D. JOSEPHO PUTANOWICZ,

Cyparissus Cum Lemmate:

è parvo maxima crevi.

NUnc scio quòd latitent in rebus maxima parvis
Corpore cùm majus nactus es ingenium.
Parva Tibi moles sed mente cacumina tangis
Ac ætate tener maxima scire potes,
Hinc Cyparissus erit, Tua parvo ex maxima crescens
Altius hæc annis ut notet ingenium.
Crescere Te cupio, plùs plùs dilecte IOSEPHE,
Dotibus ex magnis omina magna lego.

V. V. D. P E T R O G U T K O W S K I,

Cedrus Cum Lemmate.

Semper flore novo.

IMmortale decus quô gaudet Libanus ingens
Et Syrus & Phænix, hoc venit ultro Tibi,
Dicitur id semper tevirescens Cedrus. Et illi
Tu similes dotes ingeniumq; refers.
Marcescunt alii quandoq; laboris ad æstus
Cernitur esse Tibi mentis ubiq; viror.
Svada Tuæ lingvæ promittit florida fructus,
Iamq; bonæ famæ Nomen odore replet,

VI. V.D. THOMÆ SWIATKOWSKI,

Malus Punica. Cum Lemmate:

Purpurat ex viridi.

PVnica SWIATKOWSKI meritò Tibi confero poma
Quæ ſimul & florent cum dibaphaq; virent
Eſt viror ætatis ſimul eſt & Purpura cultæ
Indolis, & murex fulget in ore Tuo.
Annis à teneris magnî ſpecimen ſat apertum
Ingenii reddis reddere quanta potes
Poſt hac (non fallar) quod reddes maxima namq;
Noſcitur in viridi quæ aurea pomus erit.

VII. V.D. HENRICO PREVOT

Perſicus Cum Lemmate:

Tranſlata proficit.

FErtilis in patriis ſed fertilior magis agris
Te PREVOT externis Perſicus una decet.
Inclyta Te genuit clarum Lotharingia tellus
Dumq; Polona tenet, clarior eſſe ſtudes.
Extera lingva Tibi ſortem Nomenq; politi
Conciliant mores, & bona multa Tui
Corporis ac animi. Noſtro Tu in climate noſtrâ
Quòd magè clareſces Pallade crede mihi.

IX. V.D. JOSEPHO DYBALINSKI,

Morus Cum Lemmate:

Serò floret citò maturat.

NOn ſemper properos comitatur gloria partus
Nec fructus melior qui mage præpes erat.
Serò quidem morus floret ſed dulcia cunctis
Arboribûs citior germina morus habet.
Hac animus ſapiens hac maturata notantur
Mentis & ingenii dona IOSEPHE Tui.
Non cita Te Laurus redimit, cita credito laurum
Ornabit meritis gloria magna Tuis.

X. V. D.

X. V. D. JOANNI KOCIMSKI,
Cypreſſus Cum Lemmate:
Sæcula poſcit.

SÆcula Cypreſſus poſcens, & ſæcula vincens
Non Tibi quid fluxum ſed notat eſſe placens.
Quod Virtus ſolidum quod longa ſcientia reddit
Firmum quodq; vetat docta Camæna mori
Inde Tibi virtutis amor ſummusq; ſciendi
Plurima fervor ineſt, ac erit iſta quoq;
Quæ manet una Viros doctos, probitate nitentes,
Duratura nimis gloria fama Tibi.

XI. V. D. ANDREÆ JAGIELSKI,
Fraxinus Cum Lemmate:
Venenoſa repellit.

FRaxinus in ſylvis pulcherrima viq, latenti
Noxia propulſat cuncta venena fugat.
Fraxinus iſta Tibi ſervit collata IAGIELSKI
Nam benè Tu cauta mente nociva fugis.
Otia ſunt multis multum bellariá cara
Credis Tu hæc animi toxica ſumma Tui,
Sunt in Te pietas, virtus, conſtantia firmo
Fædere conjunctæ, hæ gloria firma Tibi.

XII. V. D. GEORGIO ZUBRZYCKI,
Larix Cum Lemmate:
Ardet non conſumitur.

IGnibûs & flammis perit omnis ſylva nemusq;
Ignes & flammas non timet una larix
Suppoſitis ardet flammis nec aduritur unquam
Et Tua GEORGI Symbola vera refert.
Doctô Tu Phæbô pariter probitate caleſcis
Non animum terit hic æſtus uterq; Tuum.
Ergo flammeſcas ultra ſic ignibûs iſtis
Crede mihi poſt hac clarior eſſe potes.

XIII. V.D. NICOLAO BOROWSKI,
Olea Cum Lemmate:
In te dura dulcescit.

OLea tranquillæ fuerat quæ nuntia pacis,
Arte triumphalem Te notat esse Virum.
Non Tibi Mars animum dedit, aût Bellona cruenta,
Sed Pallas Vîrtus atq; Minerva dedit.
Arte vales solidâ polles & robore mentis
Non modicô doctæ, fortia Castra facis.
Te Toga Teq; manent pulchri sinè cæde Triumphi
Prælia paccatus Tu bene docta geres.

XIV. V.D. FRANCISCO CWIERZOWICZ,
Vitis Cum Lemmate:
Sese melioribus offert.

FLorida quæ ingenium vivax mentemq; profundam
Planta Tuam deceat? non dubitando diu
Obvenit ecce mihi demissa in valle virescens
Arbor, quæ rigido cortice mella fovet.
Mens equidem Tibi prona velut declivibûs orta
Dotibûs est, æquat maxima quæq; suis.
Dumq; modesta regit cultos prudentia mores
Cortice de tali dulcia mella leges.

XV. V.D. THOMÆ JACHOWICZ,
Surculus inoculatus Cum Lemmate:
Perficitur arte.

Quidquid in Orbe Parens posuit natura profectò
Excoli ab arte cupit, perfici ab arte solet.
Hac praxi motus naturæ dona benignæ
Commendata Tuâ reddis ab arte magis.
Ingenitas alii dotes reputant satis esse
Ad laudem, Tu illis adjicis artis opes,
Ergo Tibi meritò debetur surculus ille,
Divite quem cumulat germine docta manus.

XVI. V.D.

XVI. V. D. THOMÆ PŁADKIEWICZ,
Palma Cum Lemmate:
Ipsa Corona sibi.

IN pretium virtutis abit Tibi Palma decusq;
Par siquidem Palmæ gloria parq; Tibi.
Sola prout viridi se vertice Palma coronat,
Est Tua sic virtus ipsa Corona sibi,
Quâ labor enixus quâ Te natura beavit,
Hæc decus est animi dos pretiumq; Tui.
Ergo Triumphalis referas Tu Symbola Palmæ,
Sintq; Tuæ dotes gloria tota Tibi.

XVII. V.D. ANDREÆ SLECZKOWSKI,
Quercus Cum Lemmate:
Suo se robore firmat.

SAcra Iovi Quercus proprio se robore firmans
Iam Tua nuncce meo è munere Quercus erit.
Viribûs ingenii firmus Tu, robore mentis
Sat solidus doctæ singula quæq; potes.
Quæ firmos animos monstrant, mentesq; requirunt
Robustas, oneri tum cuicunq; pares.
Te probat esse Virum fortem cum nomine virtus,
Sors adversa Tibi nulla nocere queat.

XVIII. V. D. FRANCISCO VINCENTIO
T O M E C K I,
Ejusdem Laureæ Candidato,
Authori Operis
V.D. ROMUALDUS LASKIEWICZ,
Mutuæ benevolentiæ & Fraternæ propensionis ergò Offert.

 Arborem

Arborem Casiam Cum Lemmate:
Profunda rimatur.

INgenium pulchris ornatum dotibûs, atq;
Eximiam mentem nulla superba Tuam
Vertice nulla tumens arbor signabit, at illa
Conveniens Casia est moribus una Tuis.
Quas Tibi cessit opes natura benignior illas
Mens humilis, morum cum gravitate tegit.
Rerum quòd sensu penetres arcana profundo,
Sat Tibi sublimis laudis ab inde venit.



Sub felicissimo Regimine
MAGNIFICI PERILLUSTRIS & ADMODUM REVERENDI DOMINI,

D.M. CASIMIRI PAŁASZOWSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS; Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI ad Cracov: Clepardiæ CVSTODIS, Curcloviensis DECANI, Parochialis in Czerniechow CVRATI, Scholarum Novodvorscianarum & Contubernii Hierosolymitani PROVISORIS, Canonizationis B. IOANNIS CANTII PROCVRATORIS, Librorum per Diæcesim Cracoviensem Ordinarii CENSORIS, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Vigilantissimi

RECTORIS.





